

to, ejusque posteris, ceterisque Germaniae Principibus, Electoribus, ac Ducibus fraudi sit: atque ut hujuscemodi rei monumentum posteris relinquatur, id in Concilii acta referri, exemplarque sibi scribae manu exaratum exhiberi flagitat. His auditis, Nicolaus Pontius (Matthæo Dandulo ob ægritudinem absente) ad Reipublicæ dignitatem retinendam, Senatus nomine, altiori voce coram Concilio latino sermone effatur: *Bajoarie Ducem, prout tunc efficeret, ita ubique, ac semper pluribus, eisdemque justissimis de causis Venetae Reipublicæ concedere debere.* Idque in acta referri petiit. Quo facto ingentem apud Patres non modo, sed apud omnes, publicæ dignitatis retentæ ac defensæ laudem tulit. Viguit sane in Republica Veneta eximum publicæ dignitatis retinendæ, & augendæ studium, citra omnem fastus, ac vanæ ostentationis notam, cum egregia potius facere, quam inanis gloriae laudem quærere, urbis situs, morum institutio, maritimis rebus obeundis, immensis itineribus conficiendis affueti animi, ac durata corpora suaderent. Hinc post Tribunos, per quos res Venetæ per multos annos fuerant administratæ, nomen Ducis innectum (quod jam tum primum a Longobardorum temporibus inductum fuerat) per tot sæcula perseveravit, civitatem nominibus, quam moribus, qui nimiam elationem praeserrent æque invisis. Inde cum superioribus æstatibus Fridericus Tertius Regiam dignitatem Venetæ Reipublicæ Principi obtulisset, quamvis Dei Optimi Maximi benignitate ejus maiestatem nominis Venetum imperium egregie sustinere potuisse; qui de ea dignitate, ac nomine ad Senatum referre auderet, inventus est nemo. Titulos quoque illustiores, priscis auribus insuetos, hac tempestate oblatos, neglectos vidimus, dum vetustam gravitatem nimium sese efferenti ambitioni anterendam, majorum exemplis edocti cives arbitrantur.

Dum quæ ad catholicam religionem firmandam, collapsam morum disciplinam restituendam Tridenti sedulo pertractantur, in Gallia novæ sectæ seditionis asseclæ templo occupant; sacrosanctas Divorum imagines prosternunt; palam concionabundi plebes acrius incitant. Regina Possiaceno colloquio incendium magis auctum conspicata, nova remedia adhibere ingenti malo adnixa, insignes ex regni curiis viros, regia sobo-

Nicolai
Pontii ad
legatū Ba-
joarium re-
sponsum.